

*fuit: Censura verò de mortuis, articulo 52.*

*De Fide.*

*Annotatio, Fides, spes, & charitas permanent, etiam si contingat cætera dona aboleri, 1. Cor. 13. d. 13.*

*Censura, Hæc propositio falsa est quantum ad fidem & spem, quum iuxta Pauli mentem non maneat in patria.*

*Nec verò mihi in animo fuit, dicere mansuram fidem, cum Deum facie ad faciem videbimus. Scio enim fidem ad tempus peregrinationis restringi, quandiu nondum aspectu frui datur, 2. Cor. 5. a. 7. Spei nõ aliter locum esse scio, nisi dũ abscondita est salus, Rom. 8. e. 24. Tantum dicere volui, reliqua dona quasdam esse velut accessiones, quæ ad fidem, spem, & charitatem referantur: ideòque propriam æstimationem non habeant. Boni interpretes me in calumirapiunt, vt probent tunc nullam fore residuam fidem quum fruemur cælesti gloria. Præposteri certe, qui dum se nimium simulât cælestes, nullam prorsus humanitatis guttam retinent.*

*De Timore.*

*Annotatio, Qui timet iudicium futu-*